



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CASSOVIENSIS*** INTRA SLOVAKIAE FINES
CONDITUR NOVA PROVINCIA

ECCLESIASTICA, CASSOVIENSIS SCILICET, QUAE AD DIGNITATEM

ECCLESIAE METROPOLITANAE ATTOLLITUR Pastoralis quidem permoti studio curam continenter adhibemus, ut salutifera Domini beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Ideo Nos, felicioribus in Slovakiae finibus exstantibus condicionibus, aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expleantur. Quapropter postulatis occurrentes Venerabilis Fratris Ioannis Sokol, Archiepiscopi Tyrnaviensis, qui flagitavit ut, disiunctis quibusdam territoriis eiusdem provinciae ecclesiasticae Tyrnaviensis, quae nunc Bratislaviensis-Tyrnaviensis nuncupatur, nova constitueretur provincia ecclesiastica Cassoviensis, Episcoporum Slovakiae audita conferentia, favente Venerabili Fratrem Aloisio Dossena, Archiepiscopo titulo Carpitano et in Slovakia Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status Sectionis de Rationibus cum Civitatibus, ex sententia Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam ecclesiasticam condimus Cassoviensem appellandam et eam archiepiscopalis metropolitanae sedis fruentem dignitate iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioeceses Scepusiensem et Rosnaviensem. Episcopum pro tempore statu et gradu Metropolitanae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Dossena, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN

Congr. pro Episcopis. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 9, pp. 776-777 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
